



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Talio, Sev Metiens Et Remetiens Mensvra

Stengel, Georg

Ingolstadij, 1650

§. 17. Vera pœnitentia opus esse, qui verè veniam consequi volunt.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52346](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52346)



mus, vt etiam in obduratione Iudæorum contumaciæ, tandemque etiam pœnæ affimilemur. Et sanè gladius hostilis nondum est in vagina; Turcicus in ceruices Christianorum acuitur. Sicut ergo Iudæis Christum occidentibus, & pœnitentiam non agentibus, ita nobis fieri potest. Nisi eum tandem aliquando conciliemus, paria reddentur.

§. XVII.

*Vera pœnitentia opus esse, qui verè veniam consequi volunt.*

At conciliamus, per pœnitentiam? per veram, non fictam. Verè recens quidam author scripsit: *Nullomodo exaudiuntur, qui à calamitatibus liberari cupiunt, nec inimiciam, quam cum Deo exercent, ponere vel afflicti cogitant. Ignouit Cesar multis, qui impium contra Maiestatem suam bellum gesserunt, cadibus, incendijs, stupris grassati sunt. Nullius illa oratio fuit: Veniam se cupere, reddi suis prouincijs & opibus, restitui sibi honores & dignitates; interim odisse se adhuc Casarem, inimicitiam profiteri, contra eius honorem, voluntatem, commoda, imperium, omnia moliturum, amicus infestum fore. Nemo sic insanit, vt sic ignorantiam flagitet, adeoque precibus conuitia & execrationes in Casarem coniungat. Quod in*

T 3                      terrena



terrena & creata fragiliq; Maiestate colenda ac deprecanda detestamur, multi cum ad incrematam creatricem Maiestatem veniunt oratum, usurpant. Victoriā, opes, securitatem, pacem, incolumitatē precantur; clades, rapinas, exilia, carceres, seruitutem, mortem deprecantur: nec impios tamen affectus, malamq; voluntatem delinquendi, qua se Deo inimicos esse norunt, animo excutiunt. Cetera mala fugiunt, summum malum, quod in Dei odio cernitur, contumaciter retentant; cetera bona concupiscunt, summum bonum, quod in Dei amicitia consistit, abominantur. Audiamus, obsecro, qualis sit in auribus Dei Sabaoth oratio eorum, qui flagellantur, nec tamen pœnitentiam agunt, sed in delictis contabescunt, & obdurantur.

## §. XVIII.

*Impia impœnitentium oratio.*

Magne Deus, Domine exercituum, triumphator, immitte hostibus pauorem & fugam, nobis victoriā concede; hoc inimicus tuus peto, affectu, aut etiam factō in odio tui perseverans; victoria munus tuum, quod postulo, me inclytum & gloriosum faciat; ne tamen in altum elatus inferiores opprimere, arroganterq; calcare desinam; quin & nomen tuum blasphemare pergam. Nec enim hæc mea facta detestor;